





1790, 8^b Wiesent ist identisch mit 14^b

24. 11. 1881



DE
P L A N T I S
S E G E T I I N F E S T I S
PART. II. SPECIALIS SECT. II.

Q V A M
P R A E S I D E

D. GEORGIO RVDOLPHO BOEHMERO

THERAPIAE PROF. PVBL. ORD. ACADEMIAE SENIORE

PHYS. PROVINC. SOC. OEC. LIPS. SODAL. ET

H. T. FAC. MED. DECANO

P R O G R A D V D O C T O R I S

DIE XXIII. MENSIS IVLII MDCCLXXX

H. L. Q. C.

P V B L I C E D E F E N D E T

GOTTLIEB EBERHARD KOHLHEIM

ZITTAVIA LVSATVS

MEDICINAE CANDIDATVS.

V I T E M B E R G A E

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

4

1790
Ad



VIRIS
MAGNIFICIS
IVRIVM CONSVLTISSIMIS AMPLISSIMIS
DOCTISSIMIS
CONSVLIBVS
SYNDICO
PRAETORIBVS
SCABINIS
RELIQVISQVE
SENATORIBVS
VRBIS ZITTAVIENSIS
PATRONIS
OMNI OBSEQVIO SVSCIPIENDIS ET COLENDIS
HANC DISSERTATIONEM INAUGVRALEM
RELIGIOSO MENTIS CVLTV
D. D. D.

ADDICTISSIMVS CLIENS
GOTTLIEB EBERHARDVS KOHLHEMIVS.

V. I. 1. 3.
M. A. G. I. N. I. C. I. S.
I. A. R. I. V. M. C. O. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S.
D. O. C. T. O. R. I. S.
C. O. N. S. V. L. I. R. V. S.
S. Y. N. D. I. C. O.
P. R. A. E. T. O. R. I. V. S.
S. C. A. R. I. N. I. S.
E. M. P. L. O. Y. M. E. N. T. I. S.
S. E. N. A. T. O. R. I. V. S.
V. I. R. I. S. E. T. I. A. N. S. I. S.
P. A. T. R. O. N. I. S.
O. M. N. I. C. O. L. L. E. G. I. O. S. S. E. R. V. I. T. A. T. I. O. N. I. S. E. T. C. O. M. M. U. N. I. T. A. T. I. O. N. I. S.
H. A. N. C. D. I. S. S. E. R. T. A. T. I. O. N. E. M. I. N. V. E. R. S. A. L. I. T. A. T. I. O. N. I. S.
P. R. I. N. T. I. T. A. M. I. N. T. E. R. P. R. E. S. S. I. O. N. I. S.
M. D. C. C. C. L. X. V. I. I. I.
L. I. P. S. I. A. E.
G. O. T. T. L. I. E. R. S. T. R. A. S. S. I. G. N. A. T. I. O. N. E.
S. E. R. V. I. T. A. T. I. O. N. I. S. E. T. C. O. M. M. U. N. I. T. A. T. I. O. N. I. S.



SECTIO II.
HERBA INFESTAE PLANTAE.

§. I.

Plantarum, segeti infestarum, secundam classem constituunt illae, quae Herba, Foliis scilicet et Caule potius, quam radice Cerealibus detrimentum inferunt. Harum omnium quidem folia, cum et copiosa sint et succulenta, magnam partem nutrimenti in se rapiunt, et sic omnes eodem modo nocent, haec tamen sola accusare non debemus, sed ad caulem quoque respiciendum erit, quippe qui pro diversa sua indole nunc cerealium incrementum impedit, nunc messoribus molestiam creat. Has itaque plantas in tres iterum species distinguere, aliasque erecto, alias volubili, alias denique parasitico caule infestas fieri, admittere possumus. Quae caulem erectum, plus minusue ramosum et foliosum obtinent, communi modo, foecundum scilicet agrum exhauriendo, segetique necessarium pabulum subducendo, nocere, nemo dubitabit, praeterea erectus caulis in multis crassus et lignosus esse solet, et hinc falcem quasi eludit, messemque taediosam atque difficilem reddit; caulis e contrario mollis et succulentus ut plurimum tardius, quam cerealium culmus vegetationem absoluit, cum his messus lente exsiccat, humidus adhuc

A

huc



huc in horreum transportatur, et nunc stramen aequae ac semina corrumpit. Diuersis hisce modis segeti nociuae sunt plantae sequentes:

Saponaria Vaccaria. Wilder Waid, Kuhbasilien, Kuhkraut, Kartheuserblume, Getraidefeifenkraut, Erdweich, Lydweich. Inter hordeum et secale abunde saepius crescit, floretque Iul. Aug. Radix annua, caulis cubitalis saepe et firmus.

Papauer Rhoëas. Vielblümichter Mohn, wilder Mohn, Kornmohn, rother Mohn, Klapperrosen, Flietschrosen, Klietschrosen, Kornrosen, Magsaamen, Grindmagen, Hirnschale, Schnallen, rothe Kornblume. Annuae inter secale, hordeum aliasque fruges copiose prouenit et belle colorati flores cum Cyano Mai. et Iun. aliquam pulchritudinis gratiam aruis conciliant, semina Aug. Sept. maturant. Caulis erectus, saepe cubitalis, hispidus, ramosus. De Papauere Cel. Poeta COVLEIVS quidem scripsit:

*Si quis inuisum Cereri benignae
Me putat germen, vehementer errat,
Ille me in partem recipit libenter
fertilis agri.*

Vid. Eius Poemata Libr. IV. p. 234. et licet huius flores a Medicis aestimentur et semina alaudis grata admodum esse, GVNNERVS Fl. Norw. Part. II. p. 136 monuerit, tamen odiosa est agricolis planta. Semina per plures annos quasi sepulta progerminasse vidit DV HAMEL, vom Ackerbau p. 85. plantamque ouibus maximopere nociuam esse, legimus in Oekon. Nachricht. Vol. IV. p. 58.

Delphinium Consolida. Rittersporn, Spornblume, Lerchenklau, Hornkümmel, St. Otilienkraut. Annuae, inter secale inprimis Flor. Iun. Iul. semina Sept. matura. Caulis pedalis, altior, ramosus.

Mox



*Mox quoque sponte sua Cyani et Delphinia totos
Incipient textu vario frondere per agros.*

RAPINVS Hort. Libr. I.

BOERHAVIUS atque LINNAEVS propter affinitatem cum
Aconito ad suspectas plantas hanc retulerunt.

Nigella aruensis. Wilder oder Acker Schwarzkümmel, Le-
dichtblume. Annuæ, Flor. Iul. Aug. Caulis pedalis, altior.
Semina nigra Nigellæ fatiuae substituuntur, acri indole facile
nocua.

Galeopsis Ladanum. Ackerandorn, brauner Andorn, klei-
ne Hanfnessel, klein Berufkraut, kleiner Hohlzahn, Kornwuth,
roth Alyssenkraut, roth Feldfelsenkraut, blaue Taubnessel.
Annuæ, cum Delphinio frequens. Flor. Iul. Aug. Caulis pe-
dalis, altior, geniculatus, rami oppositi.

Galeopsis Tetrahit. Iisdem nominibus germanicis insigni-
tur. Flor. Iul. Aug. Radix annua fibrosa, caulis erectus, fe-
re cubitalis, ramosus, internodia caulina incrassata.

Stachys aruensis. Kleiner Feldandorn. Flor. Iul. Aug.
Radix annua, fibrosa, caulis erectus, aut decumbens, saepe
pedalis, tetragonus, rami oppositi.

Myagrum fatium. Dort, Dotter, Flachs: oder Leindot-
ter, Finkensamen, kleiner Oelsaame. Flor. Mai. Iul. Radix
annua, tenais, caulis pedalis, cubitalis, pilosus, rami alter-
ni. Ob oleum, ex feminibus parandum, colitur hinc inde
planta, spontanea agris, Lino praecipue confitis, infesta. Aues
feminibus delectantur.

Erysimum cheiranthoides. Schotendotter, langschötiger Lein-
dotter, Leucoien, Hederich. Fl. Mai. Iun. Radix annua fi-
brosa, caulis saepe cubitalis, inferne ramosus.

A 2

Brassi-



Brassica campestris. Wilder Durchwachs, gelber Durchwachs, Feldkohl, Waldkohl, Knützen. Copiose inter annum frumentum. Flor. Mai. Iun. Radix annua, caulis pedalis, altior. Iunior planta ab ouibus comeditur, adulta acrior fit et intacta relinquitur.

Sinapis aruenfis. Hederich, falscher Hederich, wilder Senf, Ackerseuf, schwarzer Feldseuf, Schüttseuf, Ackerkohl, Rüdig, Roeddick, Triller. Omnium fere copiofissime in agris humidis, apricis, Hordeo inprimis confitis, prouenit ita, vt arua circa Festum Diui Iohannis faepiffime flaua et quafi Napo confita appareant. Inter frumentum perenne fere nunquam occurrit, licet enim fatis eiusmodi cerealibus huius quoque semina cito progerminent, hyme tamen destruuntur et fequenti vere nullum reftat ueftigium. Inter annuas autem primo statim Vere prouenit, celerrime uegetationem abfoluit et faepe autumnio reedit. Radix fibrofa, caulis pedalis, altior, hispidus, ramosus. Cum fequenti, florendi inprimis tempore, facile confunditur, hinc addamus: Folia ouata, finuata, denticulata, leuiter pilofa, bafi non auriculata, calicis foliola ex uiridi flauicantia, expansa, petala flaua, nectaria quatuor intra stamina quatuor maiora, filiqua polyfperma, cornu breuiori terminata. Semen acre, loco finapis nigrae et folia in culinais adhiberi poffent. Culinarem herbae uſum maximopere commendauit KRÜNIZ, et ſcripfit: *Am beften ſchmeckt es mit Schinkenbrühe abgekocht. Man hat gar nicht nöthig, das erſte Waſſer abzugieſen. Es hält im Geſchmack zwiſchen Spinat und Kohl das Mittel, und iſt zugleich ein recht geſundes Eſſen.* Vid. Oec. Encycl. Vol. XXII. p. 657. Magis adhuc huius herbae uſum laudauit GERMERSHAVSEN, retulitque: *daß in ſeinem Dorfe arme Leute beſtändig dieſen Hederich kochen, und ſo wenig Brodt dazu eſſen, daß ſie die ganze Woche mit etwa vier Pfund Brodt*



Brodt zum Hederich durchkommen: statt des Fettes rühren sie ein wenig Mehl unter den Hederich. Vid. Wittenb. Wochenbl. 1771. p. 80, et 1772. p. 205. Iunior planta ouibus, adultior etiam Equis gratum est pabulum, ex floribus melleam materiam copiosam apes colligunt.

Raphanus Raphanistrum. Hederich, Heiderich, Heidenrettig, Ackerrettig, Ackerkohl, wilder Senf, Schnödesenf. Annuua planta, in apricis non crescens, modo inter segetes, in agris potissimum arenosis ita luxuriat, vt meliorem frugem saepe omnem excludat maximamque messis partem efficiat; lacte viget inter Hordeum et Auenam, parce inter Secale, vix inter Triticum. Floret Maio ac per totam aestatem. Radix fibrosa; tota planta subhispida; caulis erectus, pedalis, altior, ab inferiori parte ramosus, pilis reflexis albis hispidus; folia caulina alterna, petiolata, auriculata, inferiora non raro pinnatifida, superiora oblongo lanceolata, dentata; spicae terminales et axillares solitariae erectae; calicis foliola quatuor conniuentia, decidua, basi gibba; petala vel lutea, vel alba, venis coeruleis picta; glandulae duae intra bina stamina breuiora et pistillum, atque duae inter stamina quatuor longiora et calicem; hae duae autem variant, et modo adsunt, modo absunt; in Varietate flore albo has duas nunquam vidit CRANZIVS vid. Classis Cruciformium p. 55. Siliqua teres articulata, articulis quatuor ad sex sulcatis, unilocularibus et a se inuicem secedentibus; siliqua in origine sua bilocularis est, semina autem sensim maiora reddita septum obliterant, vt unilocularis videatur; Semina subrotunda, articulis inclusa, decidunt et rarissime in horreum transportantur. Planta iunior et recens an ab omnibus pecoribus sine noxa deuoretur, dubium videtur. Eandem ouibus gratum esse pabulum contra ELLISIVM notauit MATTVSCHKA Flor. Siles. To. II. p. 110. Conf. et Wittenb. Wochenbl. Vol. V. p. 201.



ab Ouibus et Bobus repudiari, ab Equis autem deuorari, tradidit GUNNERVS Fl. Norweg. II. p. 27. eius vsu peremi Oues retulit SCHREBERVS in der Sammlung Vol. XIII. 51. Bobus et praecipue Vaccis egregie conducere exsiccatam plantam docuit Cel. KRÜNITZ, et scripsit: *Wenn die Pflanze jung noch vor der Blüthe getrocknet wird, giebt sie zur Winterszeit dem Rindviehe eine Nahrung, die weit über alle beste Arten des Klees hinaus zu setzen ist. Und wenn die Kühe im Winter kalben, brühet man ihnen diesen Hede- rich unter anderes Gemenge von Heu, oder Häckerling auf, sie fressen dieses Futter gerne und die Milch wird dabey vermehret; kann man mit dieser Winterfütterung anhalten, so bekömmt man eine Winterbutter, welche an Farbe und Geschmack aller andern vorzuziehen.* Vid. Eius Oecon. Encyclop. Vol. XXII. p. 670 sq. Hominibus certe innocuum alimentum praebuit herba; iisdem autem semina fortassis damnum inferunt. LINNAEVS enim morbum spasmodicum, qui articulorum spastica contractione cum agitatione conuulsua se prodit, quemque multi a clauis secalinis deriuare solent, a Raphanistri seminibus deducere, et ideo hunc morbum Raphaniam appellare voluit, sequentibus permotus rationibus: 1) morbus non ante incepit, quam nouum autumnu agricolae e nouo frumento panem comederint, sensimque vere appropinquante desinit; 2) obseruarunt aegrotantes panem huius frumenti sibi nocuisse recentem praecipue et clibano calentem; 3) rustici et pauperes vexati sunt hoc morbo, numquam vero homines melioris sortis vel diuites; qua in re diaetam regionis et consuetudinis cognouisse iuuabit; nempe rustici et vilioris conditionis plebecula panem ex solo Hordeo conficiunt, vt Secali vendendo parcatur; hinc recte concluditur, causam morbi Hordeo contineri; in australiori Suecia vero, vbicunque obseruatus fuerit morbus, duobus inprimis laborant agri vitis, Brassica campestri scilicet, et Raphano Raphanistro, quorum illa in agris secalinis vel Hordeo confitis: haec autem
non



non nisi in agris Hordeum ferentibus crescit. 4) Infantes lactantes mali exsortes extiterunt. 5) Qui frumento vsi sunt impuro et granis, inter segetes ingerendum, per tribularii arcam elapsis, huic malo magis fuerunt obnoxii; quam ob rem, subsequenti anno, frumenta curatius qui purgarunt, immunes euaserunt. 6) a pane comesti saepe vomitum, et haemorrhagiam ante ingruentem morbum spasmodicum passi sunt. 7) LINNAEI Frater praeter alia animalia, hoc morbo defuncta, Meleagridem dissecuit, cuius in ingluuie nihil aliud se inuenisse, quam siliquas aliquas articulatas, retulit et Ipse Archiater LINNAEVS Gallo Pauonum maximo siliquas Raphanistri deglutiendas praebuit, indeque eius pedes contractos suis se vidit. Conf. Amoenit. Acad. Vol. VI. p. 430 sqq. Praeterea Sues atque aues ex esu horum seminum oedemate ac conuulsionibus in collo, pedibus atque alis laborasse obseruauit BAECKIUS. Vid. Eius oratio de morbis contagiosis translata in Schwed. Magazin Vol. I. p. 381. Multa ex hac oratione repetiit FRANKIUS in Syst. der medicin. Polickey Vol. III. pag. 234 sqq. Tristissimos autem eiusmodi effectus ab assumptis feminibus haudquaquam obseruarunt alii. Cl. WAHLIN eadem variis animalibus dedit, maioribus et minoribus, sola et frumentis admixta, item panem et alia ex iis parata, animalia libenter illa comederunt nullumque damnum inde perpeffa fuerunt; infantibus quoque multum panis exhibuit, cui admixta erant illa semina, quibus ille nihil nocuit. Vid. Schwed. Akad. Abhandl. Vol. XXXIII. p. 30. Eiusmodi morbum minus bene plantae innocenti adscribi, asserit SPIELMANNVS Diff. de Plantis Venenatis Alsat. p. 66. VOGEL in Praelect. de curandis C. H. affectibus p. 397. alique. In Holsatia semina Raphanistri Auenae admiscuntur et ab hoc pabulo Equi egregie roborantur, teste KRÜNITZIO Libr. cit. p. 670. Acredinem feminis, forsan et ipsius herbae, insigniter augeri, si plan-

ta



ta in humido loco crescit, probabili ratione coniicimus. De
 exstirpatione plantae vid. GERMERSHAVSENI Hausvater
 Vol. II. p. 7 et 645 Wittenb. Wochenbl. Vol. IV. p. 180 et
 Vol. V. p. 201. Braunsch. Lüneb. Gesellsch. Nachr. Vol. I.
 p. 309. GMELIN Unkraut p. 165. Berlin. Samml. Vol. VI.
 p. 505. et inprimis KRÜNITZ Libr. cit. p. 660 et 672. Her-
 ba suffosa, vti aliae succulentae plantae, foecundior omnino
 reddunt agrum, propterea vero illam intactam relinquen-
 dam esse, nemo serio affirmabit.

Fumaria officinalis. Feldraute, Ackerkraut, Alpraute, wil-
 de Raute, Erdrauch, Taubenkropf, Taubenkörbel, Katzen-
 körbel, Krätzheit, Grindkraut, Nuppenkraut, Fimstern. Flor.
 Mai. Iun. annua, radix tenuis fibrosa; caulis erectus aut de-
 cumbens, angulosus, ramosus; palmaris, altior; planta ad-
 modum succulenta, virtute medicata notissima, recens ouibus
 grata et modice assumpta ipsis salutaris.

Nomen Fumariae a fumo deriuatur; idque inde factum
 plurimi existimant, quia succus eius, oculis instillatus, fumi
 ad instar ardeat et delacrymationem inducat; vid. PLINIVS
 Libr. XXV. cap. 99. CAESALPINVS Libr. VI. c. 77; alii au-
 tem, rectius forte, statuunt, Fumariam appellari, quia, cum
 primo e terra erumpit, ramis tenuissimis, vndique sparsis, fo-
 liisque copiosissimis, per ipsam se ita diffundit, vt quasi fu-
 mus circa eandem appareat, hinc et planta ab aliis Fumus ter-
 rae et germanico recepto nomine Erdrauch appellari solet.
 Conf. BOERHAVII Hist. Plant. Lond. 1738. p. 389. Adda-
 mus, quae de singulari proprietate, Fumariae adscripta, mo-
 nuit Cel. Poeta RAPINVS Hortor. Libr. I.

*Ipsa etiam primo glacialis Fumaria vere
 Ostendet varios per Norica Saxa colores.
 At non horrendos coeli perferre tonantis,*



*Vt perhibent, poterit, laeso non flore fragores:
Cum vel fulmineo Fumaria tacta vapore
Deficit et lapsa infelix ceruice decumbit.*

Sonchus oleraceus. Gänsefistel, Saudistel, Milchdistel, Leberdistel, Dudistel, Hasenkohl, Hasensalat, Seuchenkraut, Saumelke, Gänse- oder Milch- Wachtelwaizen. Flor. Iun. et per totam aestatem. Radix fusiformis, fibrosa, annua; caulis erectus, tres quatuorque pedes altus, glaber, vel asper, ita et folia plus minusue spinosa; Iunior succulenta herba loco oleris et in acetariis vsurpatur; Vaccis, ouibus et passeribus canariensibus gratum est pabulum; si Lepores eandem copiose assument, caro eorum ingratum obtinet saporem.

Carduus crispus. Krausefistel, Kratzdistel, Wegdistel, Flor. Iul. Aug. Radix annua, caulis tripedalis, altior, sulcatus, alatus, spinosus, ramosus. Seminibus, pappo sessili coronatis, haec et congeneres plantae vndiquaque luxuriant, utque hinc in Gallia lege publica sancitum fuit, ut omni industria et apto tempore eradicentur Cardui, et negligentiae reus a vicino accusari et poena affligi debeat. Vid. Schlesiſche Landwirthsch. Vol. I. p. 123.

Senecio vulgaris. Kreuzkraut, Kreuzwurz, Grindkraut, Grimmkraut, Grindwurz, Goldkraut, Berufkraut, Saukraut, Baldgreise, Speykraut, Ohmkraut, Würgekraut. Floret per totum fere annum. Radix fibrosa, annua; caulis erectus, palmatis, pedalis, ramosus; folia succulenta. Oves intactam relinquant; apes ex floribus melleum succum copiose colligunt, foliis et floribus Passeres aliaeque aues delectantur.

Matricaria Chamomilla. Chamillen, Kamillen, Gamillen, Ricmercy, Roëmercy, Romey, Hermigen, Hermel, Helmerigen, Hermünzel, Kammelblume, Laugenblume. Flor. Iun. Iul.



Iul. saepe in autumnno inter Rapas refloret. Radix fibrosa annua, caulis erectus pedalis, altior, ramosus. Vulgo Chaemelum dici solet planta et licet hoc nomen a χαμηλον humiet μηλον malum deriuetur et teste PLINIO L. XXII. c. 26, odorem mali habeat planta, multifaria tamen et egregia virtute pollet. Conf. MURRAY Appar. Medicam. To. I. p. 143 sqq. Herbam teneram et succulentam in agris requietis vere et autumnno Oues lubenter appetunt.

Anthemis arvensis. Kuhdille, Hundsdille, Ackerkamille, falsche Kamille, geruchlose Kamille, Hundskamille, wilde Hermel, Ochsenauge, Rindsauge, Mayankraut. Cum priori frequenter occurrit. Flor. I. n. Iul. Radix duriuscula, fibrosa, perennis, caulis sesquipedalis, a basi ramosus. Flores digito triti odorem quodammodo foetidum excitant; folia iuniora ab Ouibus comeduntur.

Anthemis Cotula. Hundskamille, Stinkkamille, Hundsdille, Kuhdille, Krötendille, Gänsekropf. Floret cum praecedente. Radix annua, tenuis, fibrosa, caulis erectus, pedalis, altior, ramosus. Planta digitis trita omni in parte foetidum odorem spirat, et hinc quandoque a Medicis in usum vocatur; ab Apibus auersatur, Pauonibus frequenter praebet domicilium.

Calendula arvensis. Ringelblume, Ackerringelblume, Goldblume, Warzenkraut, Gilken, Butterblume, Dotterblume, Sonnenwende, Haussonnenwirtel. Flor. a Iul. ad autumnum. Radix fibrosa annua, caulis palmaris, procumbens et erectus, ramosus, multiflorus. Planta aris a veteribus Medicis aestimata, a recentioribus neglecta.

Vrtica vrens. Eiternessel, Eidernessel, Heiternessel, kleine Brennessel, Habernessel. Fl. Iul. Aug. Radix annua, fibrosa, caulis erectus, pedalis, altior, rami oppositi. Oues intactam relinquunt.



§. II.

Diuerso ab his modo Segeti infestae sunt plantae, quae caule volubili, vel capreolis instructae sunt, quaeque, si solae in aliquo loco crescunt, se inuicem amplectuntur et humiliores manent, si autem aliae proxime adsint, iisdem, tanquam fulcro, alligantur, earumque auxilio ascendunt et elongantur; magno sane ipsarum commodo, est maximo illarum, cum quibus coniunctim crescunt, detrimento. Prout enim scandentes et volubiles plantae eum frequenter in finem coluntur, vt aliae sponte natae et erraticae in incremento impediuntur, penitusque destruantur, ita etiam cereales plantae ab earum societate ingens experiri debent damnum. Hi enim agricolis inuisi satorum alumni culmos cerealium. eorumque spicas atque paniculas arripiunt, in fasciculos colligunt, in terram deprimunt, erectionem nouam non permittunt, in vltiori vegetatione retardant, ad putrefactionem disponunt eorumque exsiccationem, peracta messe, impediunt. Eundem certe praestant volubiles plantae effectum, qualem a copiosa pluuia experiuntur Segetes, et de qua egregie scripsit OVIDIVS Metamorph. I. vers. 272.

*Sternuntur Segetes et deplorata Coloni
Vota iacent; longique labor perit irritus anni.*

Inde etiam frequenter accidit, vt bene florentes cereales plantae semina nulla ferant, solosque culmos, vacuasque spicas exhibeant, et ita prognosticum fertilitatis, ab OVIDIO Fast. Libr. V. vers. 263. notatum,

Si bene floruerint Segetes, erit area diues,

fallacissimum reddant. Conuoluulus minor et Lathyrus tuberosus, quae radice repente ac tuberosa segeti damnum inferunt, et Sectione priori adductae fuerunt, huc quoque pertinent.



nent, cum prioris cauliculi non semper humi repant, sed etiam, simulac in vicinia constitutas plantas inueniunt, easdem arripiant crebrisque circumuolutionibus reuinciant; Lathyrus vero, caule volubili foliorumque clauiculis instructus, eundem semper crescendi modum tenere, aliasque comprehendere plantas soleat. Praeter has autem frequenter inter segetes habitantes sequentes scandentes plantae:

Galium Aparine. Klebkraut, Kleber, Klieue, Tingelkraut, Zungenpeitsche, Nabelsaamen, Bettlersläuse, Zaunreiß. Flor. Iun. et femina per totam aestatem maturant. Radix fibrosa, annua, caulis tripedalis, altior et ramuli tenues, tetragoni, eorumque anguli spinis retrorsum directis obsessi, folia verticillata, aequae in margine et dorso spinosa, hinc tota planta aspera, atque scabritie sua non tantum praetereuntium vestimentis adhaeret, eademque retinet, quasi hominem amabili cinculo vincire vellet, Philadelphus et propterea a DIOSCORIDE Mat. Med. Libr. III. c. 104. PLINIO Libr. XXVII. cap. 15. aliisque Philanthropos appellata fuit, sed etiam plantas proximas comprehendit, aculeis firmiter tenet, detrahit et suffocat. Planta hac pastores coli vice uti ad eximendos e lacte pilos, DIOSCORIDES l. c. idemque in Suecia consuetum esse LINNAEVS Fl. Suec. ed. II. p. 45. et Semina Coffeae succedanea esse in Hybernia RYTTY Beschreib. von Dublin Vol. I. pag. 38. retulerunt, Herba concisa pullorum anserinorum esca est in Anglia et hinc nominatur Goose-Gras. Vid. RIEGERI Introd. ad Hist. Nat. To. I. p. 710.

Polygonum Conuoluulus. Das kletternde gestreifte Heidekorn, Buchwinde, Schwarzwinde, Heidelwinde, Vogelzunge. Flor. Iul. Aug. Radix annua, fibrosa, caulis debilis, angulosus, striatus, alternatim ramosus, altissime scandens et circa frumenta sese conuoluens. Herba pabularis est, oues eandem luben-



lubenter deglutire legimus in Act. Stockholm. 1750, in nostris agris eam respunt. Semina auiculis, et loco Polygoni Fagopyri hominibus quoque esculenta.

Lathyrus Aphaca. Platlofer Lathyrus, Ackerplatterbse. Fl. Aug. Radix annua, caules tetragoni, ramosi, decumbentes aut erecti; cirrhis, quibus costa finitur, plantis adhaeret; costa saepe nuda, quandoque foliolis cincta.

Pisum aruense. Felderbse, wilde Stockerbse. Flor. aestate. Radix annua, fibrosa, caulis tenuis, ramosus, cirrhorum auxilio volubilis; ab aliis speciebus facile distinguitur duplici foliolorum pare, stipulis emarginatis et floribus solitarie positis.

Vicia Cracca. Vogelwicke, Vogelheu, Krake, Krok. Flor. Iun. Iul. Semina maturat Aug. Sept. Radix perennis, fibrosa, caulis tetragonus, sulcatus, ramosus, inter fruges erigitur, cubitalis, altiorque euadit et clauiculis costae ramosis cerealibus maxime infesta est. De hac et Arachi scribit DODONAEVS: *Prouenit utrumque vitium una cum segetibus, quibus coeli statu humido admodum perniciosum est, tunc enim cito incrementum sumens confestim segetem praecoccupat, teneramque pertinaci vincu crebrisque circumuolutionibus deorsum trahit ac calamitosam eam efficit.* Vid Hist. Frumentor. p. 163. Equi a semine cito pinguescunt LINN. Amoen. Acad. Vol. V. p. 360. a bobus et ouibus non deuoratur, nisi fame coactis GVNNERI Fl. Norw. To. II. pag. 12. Semina nigra, cum fecale mixta, in annonae caritate panem praebent nullo modo nocuum.

Vicia satina. Schwarze Futterwicke, Rosswicke, Saamwicke, Kornwicke, Feldwicke, zweyblümige Wicke. Floret Iun. Semina maturat Iul. Aug. Radix annua fibrosa, caulis cubitalis, altior, tetragonus, sulcatus, ramosus, debilis, inter fruges erigitur capreolis vt plurimum tripartitis. Inter Aue-





nam frequenter habitat, et vtriusque semina, inter se mixta, saepe in horreum transportantur. Colitur quoque seorsim, et pabulum Equorum constituit vtilissimum. Iunior planta etiam ab Ouibus deuoratur. Seminibus delectantur Columbae.

Eruum tetraspermum. Kleine Linsenwicke, kleine Feldwicke, kleine Vogelwicke, vierfaamige Linse. Flor. Iun. Iul. Radix annua, caulis debilis, tetragonus, clauiculorum ope erectus, et frumenta inter se colligens; planta autem recens et exsiccata gratum praebet omnibus fere pecudibus pabulum.

§. III.

Quo rarius inter Segetes nostrates radice parasitica planta, Orobanche, inuenitur, eo frequentius occurrit alia, quae caule aliis plantis non modo adhaeret, easdemque, vti antea recensitae, amplectitur et strangulat, sed etiam easdem alimento fraudat, illudque in sui incrementum impendit. Est haec *Cuscuta Europaea*, quae omnibus fere plantis herbaceis parasitico nexu copulari atque iungi se solet. Agricolis etiam ingrata est hospes, et licet ipsis cerealium culmis, vtpote siccioribus, rarissime agglutinetur, interpositas tamen erraticas plantas occupat, easdemque cum cerealibus mutuo amplexa coniungit, et quemadmodum illas, quibus affixa est, exhaurit atque depascit, ita cerealium culmos secum rapit, deprimit, suffocat, immo tandem occidit. Crescendi et nocendi hunc modum egregie descripsit DODONAEVS sequentibus: plurimis tyrrum scabibus similibus longis repit cirrhis, qui statim ab ipso exortu herbarum ramulis ac foliis sese implicant atque crebris voluminibus prosperantes comas complectuntur, tam spisso non raro contextu, vt et propriam parentem subinde laqueis suis strangulent, sic, vt mole oneratae stirpes procumbant, aut natiuo alimento destitutae contabescant. Vid. Frumentor. Hist. p. 185. Insigne incrementum et multiplicatio ramulo-



mulorum huius plantae in exemplo, quod commemoravit SE-
GUIER Plant. Veronens. To. I. p. 194. clarissime elucescit; vidit
scilicet ille vnae racemum, in quo longissimae Cuscutae clavi-
culae dependent, ita, vt non inepte barbam repraesentent,
vnamque barbatam efforment; eiusmodi spectaculum quoque
vidit et delineauit LICETVS de Monstris L. I. c. 5. p. 25. Illam
autem ingens aliis plantis adferre damnum, immo frequenter
interitum, diuersa plantae imposita nomina satis superque
comprobant. Ita enim eandem agricolae in Britannia exe-
crantur, et inuidiosis nominibus *Helweed* et *Devilsguts*, id est;
Herbam inferni et Diaboli intestina appellari solet, notante RATIO
in Synopsi stirp. Britannic. ed. 3. Lond. 1724. p. 28. eamque Ver-
tumnum, Proteum aut Polypum herbarum non inepte appella-
ri posse, scribit SIM. PAVLI in Quadripart. Botanico p. 310.
Etymologia quoque graecae vocis Cuscutae, vel, vti alii scri-
bunt, Cassythae improbam eius virtutem declarat. Exposuit
eandem WEDELIVS, et potius cum THEOPHRASTO de Caus.
Plant. Libr. I. c. 32. *καδύτας*, quam cum SALMASIO in Plin-
ian. Exercit. To. II. c. 46. p. 682. aliisque *καούτας* scribendum
esse docuit, *καδύτας* enim, addit, nomen et omen habet *ἀπό τῆς*
καδύειν, quo neruose indigitatur, plantam hanc vicinas non so-
lum subire et abscondere, sed penitus etiam ingredi, demerge-
re, immo tandem occidere. Vid. Eius Diss. de Cuscuta p. 7 sq.
in qua et alia multa, quae ad huius plantae historiam pertinent,
exposuit et speciatim quoque inquisiuit, an THEOPHRASTI Oro-
banche Cuscutae speciem constituat. De qua re vid. Orobanche.
Alii a voce *κατύνω*, consuo, quia quasi filis herbas implicat, de-
riuare voluerunt. Vid. COULEII Poemata L. I. p. 21. Aliae quo-
que denominationes, a plantis desumptae, quibus increfcit, vir-
tutis nociuae indices erunt, e. gr. *Λινωδετμος*, Vinculum, Podagra
Lini et s. p. De insigni damno, quod in certa quadam regione
Segetes a Cuscuta expertae fuerunt, vid. EHRHARTI Oek. Pflan-
zen-



zenhistorie Vol. VIII. p. 126. Planta haec, quae germanice dicitur Saite, Seide, Seidenkraut, Flachsseide, Thymseide, Hopfenseide, Flachsdotter, Filzkraut, Frauenhaar, Teufelszwirn, Range, Klete, Kleise, Leithaar, Stolzkrout, annua est, eiusque semen in terra germinat, radicem in eandem non dimittit, sed cauliculus, qui in semine conuolutus iam praeeexistit, cochleatim ascendit, plantasque vicinas statim arripit, atque in tenues, filiformes, nudos, varioque modo conuolutos ramulos dispescitur, qui papillis vndique erumpentibus, a GVETTARDO in Mem. de l'Acad. Roy. a Paris 1744. accurate descriptis, aliarum cortici sese insinuant, illisque succum, fortasse etiam virtutem detrahunt. De priori nemo dubitabit. Existimat quidem OLDENDORPIVS Parasiticas, dum aridas quoque et exsuccas plantas inhabitent, et ex illis nutrimentum accipere non possint, ex aere tantummodo fluida infugere, ideoque si etiam succulentas occupent, nullum iisdem detrimentum inferre, vid. Eius Geschichte der Mission auf den Caraibischen Inseln Vol. I. p. 208. quod vero de omnibus, et de Cuscuta certe, affirmari haudquaquam potest. Valet omnino de his CATONIS monitum: *Amicus Domini eos sibi habeat amicos — parasiticum ne quem habeat*, de Villico Cap. 5. p. 12 sq. et quae addidit KEMTER: *parasiti enim mensas detergunt et velut mures semper edunt alienum cibum, non duratura longius, ac dum olla feruet, amicitia*; in Libro de Veterum disciplina de Re Rustica To. I. Mediol. 1777. p. 269. Cum succo etiam virtutem illarum plantarum, quibus adhaeret Cuscuta, transplantari ideoque eandem, pro illarum diuersitate, diuersis quoque in morbis vtilem esse, multi contendunt, verum rectissime scribit MURRAY: *nolo pluribus inhaerere stirpi, nostro tempore excoletae, et quantum plerisque criteriis etuicescit, infirmae*. Siccitatem plantam praestans esse pecudum pabulum monuit GVNNER Flor. cit. To. II. p. 71. fortasse autem sibi est fallacia, et potius plantae, a Cuscuta inuolutae, pabulum



lum constituunt. Haec certe non, nisi magno cum labore separatim collegi poterit, et post exsiccationem, parum admodum remanebit.

De Plantis Semine infestis proxima occasione differemus.

T H E S E S

A

CL. CANDIDATO AD DISPVTANDVM PROPOSITAE.

Vti Bilis praeparationi chyli inseruit, ita et Chylus praeparationi bilis.

Arteriae cerebri non pulsant.

Monstra non ab imaginatione materna oriri, vel plantae docent.

Non omnia, quae reficiunt, nutriunt, contra vero omnia, quae nutriunt, reficiunt.

Podagrici podagra magis deficiente, quam affligente moriuntur.

Natam febrem facile distinguimus, ortum eius et causam saepe non satis assequimur.

C

A Vo-



A Vomitoriis maxime febrium intermittentium auspican-
da curatio.

Variolae speciem morbi inflammatorii constituunt, ergo
etiam easdem, methodo resolutoria adhibita, resolui posse,
haud impossibile videtur.



Wittenberg Diss. 1790

ULB Halle 3
003 769 283



f
sb.





DE
P L A N T I S
S E G E T I I N F E S T I S
PART. II. SPECIALIS SECT. II.

Q V A M
P R A E S I D E
D. GEORGIO RVDOLPHO BOEHMERO
THERAPIAE PROF. PVBL. ORD. ACADEMIAE SENIORE
PHYS. PROVINC. SOC. OEC. LIPS. SODAL. ET
H. T. FAC. MED. DECANO

P R O G R A D V D O C T O R I S
DIE XXIII. MENSIS IVLII MDCCLXXX
H. L. Q. C.

P V B L I C E D E F E N D E T
GOTTLIEB EBERHARD KOHLHEIM
ZITTAVIA LVSATVS
MEDICINAE CANDIDATVS.

V I T E M B E R G A E
L I T E R I S C A R O L I C H R I S T I A N I D Ü R R I I .

4

1790
Ad

